



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum continentia sit melior quàm temperantia? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

atur à concupiscibili. Et idèd continentia potest attribui rationi sicut primo mouenti, & incontinentia, concupiscibili: quamuis vtrumque immediatè pertineat ad voluntatem sicut ad proprium subiectum.

Ad tertium dicendum, quòd licet passiones non sint in voluntate sicut in subiecto, est tamen in potestate voluntatis eis resistere. Et hoc modo voluntas continentis resistit concupiscentijs.

ARTIC. IV.

757

Vtrum continentia sit melior, quam temperantia?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd continentia sit melior, quam temperantia. Dicitur enim Ecclesiast. 26. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Ergo nulla virtus potest continentia adæquari.

¶ 2 Præterea, Quàto aliqua virtus meretur maius pramium, tanto potior est. Sed continentia videtur mereri maius pramium. Dicitur enim secundæ ad Timot. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Magis autem certat continens qui patitur vehementes passiones & concupiscentias prauas, quam temperatus qui non habet eas vehemètes. Ergo continentia est potior virtus, quam temperantia.

¶ 3 Præterea, Voluntas est dignior potentia, quam vis concupiscibilis. Sed continentia est in voluntate: temperantia autem in vi concupiscibili, vt ex dictis patet*. Ergo continentia est potior virtus, quam temperantia.

SED contra est, quòd Tullius* & Andronicus ponunt continentiam adiunctam temperantiæ, sicut principali viriuti.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est*, nomen continentia dupliciter accipitur. Vno modo, secundum quod importat cessationem ab omnibus delectationibus venereis. Et sic sumendo nomen continentia, continentia est potior temperantia simpliciter dicta: vt patet ex his quæ supra dicta sunt*, de præminencia virginitatis ad castitatem simpliciter

art. præc. ad 1.

Tullius lib. 2. de inuic. in fol. 2. ante fin. lib. ar. 1. huius 9.

9. 152. ar. 5.

ter dictam. Alio modo, potest accipi nomen continentiae, secundum quod importat resistantiam rationis ad concupiscentias pravas, quæ sunt in homine, vehementes. Et secundum hoc temperantia est multo potior quam continentia: quia bonum virtutis laudabile est ex eo quod est secundum rationem. Plus autem viget bonum rationis in eo qui est temperatus, in quo etiam ipse appetitus sensitivus est subiectus rationi, & quasi à ratione edomitus: quam in eo qui est continens, in quo appetitus sensitivus vehementer resistit rationi per concupiscentias pravas. Unde continentia comparatur ad temperantiam, sicut imperfectum ad perfectum.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa potest dupliciter intelligi. Vno modo, secundum quod accipitur continentia, prout abstinere ab omnibus veneris. Et hoc modo dicitur, quod omnis ponderatio non est digna animæ continentis in genere castitatis: quia nec etiam fecunditas carnis quæ quaeritur in matrimonio, adæquatur continentiae virginali vel viduali, ut supra dictum est *. Alio modo, potest intelligi, secundum quod nomen continentiae sumitur communiter pro omni abstinentia à rebus illicitis. Et sic dicitur quod omnis ponderatio non est digna animæ continentis: quia non respicit æstimationem aurum vel argenti, quæ commutantur ad pondus.

Ad secundum dicendum, quod magnitudo concupiscentiae seu debilitas eius, ex duplici causa procedere potest. Quandoque enim procedit ex causa corporali. Quidam enim ex naturali complexionem sunt magis proni ad concupiscendum quam alij. Et iterum quidam habent opportunitates delectationum concupiscentiam inflammantes, magis paratas quam alij. Et talis debilitas concupiscentiae dimittit meritum, magnitudo vero auget. Quandoque vero debilitas vel magnitudo concupiscentiae provenit ex causa spiritali laudabili: puta, ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis: sicut est in homine
tem-

9. 1; 2.
47. 5.

temperato. Et hoc modo debilitas concupiscentiæ auget meritum, ratione suæ causæ, magnitudo verò minuit.

Ad tertium dicendum, quòd voluntas propinquior est rationi quàm vis concupiscibilis. Vnde bonum, rationis, ex quo virtus laudatur, maius esse ostenditur ex hoc quòd pertingit non solum vsque ad voluntatem, sed etiam vsque ad vim concupiscibilem, quòd accidit in eo qui est temperatus; quàm si pertingat solum ad voluntatem, vt accidit in eo qui est continens.

QVÆST. CLVI.

De incontinentia, in quatuor articulos diuisa.

Postea considerandum est de incontinentia.

- ¶ Et circa hoc quærentur quatuor.
- ¶ Primo, vtrum incontinentia pertineat ad animam vel ad corpus?
- ¶ Secundo, vtrum incontinentia sit peccatum?
- ¶ Tertio, de comparatione incontinentiæ ad intemperantiam.
- ¶ Quarto, quis sit turpior, vtrum incontinens iræ, vel incontinens concupiscentiæ?

ARTIC. I.

Vtrum incontinentia pertineat ad animam, an ad corpus?

758

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd incontinentia non pertineat ad animam, sed ad corpus. Diuersitas enim sexuum non ex parte animæ, sed ex parte corporis est. Sed diuersitas sexuum facit diuersitatem circa incontinentiam. Dicit enim Philosophus in 7. Ethic. quòd mulieres non dicuntur, neque continentes, neque incontinentes. Ergo incontinentia non pertinet ad animam, sed ad corpus.

¶ 2 Præterea, Id quod pertinet ad animam, non sequitur corporis complexiones. Sed incontinentia sequitur corporis complexiones. Dicit enim Philos. in 7. Ethic. quòd maximè acuti, id est, cholericis, & melancholicis, secundum effrænatam concupiscentiam sunt incontin-

c. 5. parū ante me. to. 5.

c. 7. ad f. to. 5.